

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA.
DE
ANGINA MEMBRANACEA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS AC DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CELEBER-
RIMORUM AC CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM
PRO DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME
CONSEQUENDIS IN CELEBERRIMA REGIA SCIENTI-
ARUM UNIVERSITATE HUNGARICA PUBLICAE
ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

MICHAEL HIRTLING

HUNGARUS SOMOGYIENSIS

ARTIS PHARMACEUTICAE MAGISTER.

In Theses calci adnexas disputabitur in Palatio Regiae
Scientiarum Universitatis majori die Julii 1832.

BUDA E,

TYPIS TYPOGR. REG. UNIVERSIT. HUNGARICAE.

DEPARTMENT OF THE ARMY

OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL

ADJUTANT GENERAL'S MANUAL

CHAPTER I. GENERAL PRINCIPLES

The Adjutant General's Manual is a comprehensive guide for the Adjutant General's Office. It covers the duties and responsibilities of the Adjutant General, the organization of the office, and the procedures for the preparation and distribution of orders and reports. The manual is divided into several chapters, each dealing with a specific aspect of the office's operations. The first chapter, General Principles, discusses the importance of the Adjutant General's Office and the role of the Adjutant General. The second chapter, Organization, describes the structure of the office and the positions within it. The third chapter, Duties and Responsibilities, outlines the specific tasks of the Adjutant General and the staff. The fourth chapter, Orders and Reports, details the procedures for the preparation and distribution of these documents. The fifth chapter, Correspondence, discusses the handling of letters and other forms of communication. The sixth chapter, Records and Files, describes the system for the maintenance of the office's records. The seventh chapter, Miscellaneous, covers various other topics of interest to the Adjutant General's Office.

CHAPTER II. ORGANIZATION

SECTION 1. GENERAL PRINCIPLES

The Adjutant General's Office is organized into several divisions, each with its own set of duties and responsibilities. The divisions are: the Office of the Adjutant General, the Office of the Adjutant General's Office, the Office of the Adjutant General's Office, and the Office of the Adjutant General's Office.

The Adjutant General's Office is organized into several divisions, each with its own set of duties and responsibilities. The divisions are: the Office of the Adjutant General, the Office of the Adjutant General's Office, the Office of the Adjutant General's Office, and the Office of the Adjutant General's Office.

DEPARTMENT OF THE ARMY

OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL

SPECTABILI

AC

PERILLUSTRI DOMINO

CAROLO NEUHOLD

INCLYTI COMITATUS LAURIENSIS TABULAE

JUDICIARIAE ASSESSORI ETC. ETC.

VIRO
ERUDITIONE, BENEVOLENTIA,
NOBILITATE CLARO
LITERARUM ET ARTIUM FAUTORI
ET PROMOTORI INDEFESSO
AMICO SUO FAUTORI ET BENEFACTORI
IN PERENNE GRATI ANIMI
MONUMENTUM
TENUAS HAS PRIMITIAS
OFFERT

GRATISSIMUS AVCTOR.

Angina membranacea, polyposa, exsudatoria; Laryngitis, tracheitis exsudatoria, Cynanche stridula, Angina strangulatoria, suffocativa, est inflammatio Laryngis aut tracheae, aut utriusque simul, cum peculiari nisu textum quemdam membranaceum exsudandi, qui accessum aëris atmosphaerici ad pulmones arcet, et mortem per suffocationem causat.

Cognitionem propiorem morbi hujus celeriter decurrentis in acceptis referendam habemus sedulis observationibus medicorum nostri aevi, quia prioribus temporibus exigua ejus vestigia reperiuntur, licet mors saepius inexpectata apud pueros per suffocationem satis probet, eum frequentem omnino fuisse.

Ex diuersa structura Laryngis, et tracheae pendet diuersitas symptomatum concomitantium, quae ad exordium morbi observantur. Durante quidem morbo vix non semper ambo organa afficiuntur, interim plurimis in casibus dolor inchoat vel in sola larynge, vel in sola trachea, et saltem successive extenditur ulterius, unde diuersitas imaginis quam medici de initio hujus morbi dederunt.

Sub decursu morbi distingui possunt quatuor stadia. 1.) Stadium catarrhosum. 2.) Stad. inflammationis. 3.) Stad. Transsudationis, 4.) Stad. Suffocationis, sub exitu felici vero comparet tamquam tertium stadium illud Criseos et Decrementi, ut quartum vero illud Convalescentiae.

1) Stadium catarrhosum. Saepe Angina membranacea ut catarrhus simplex comparet, et ab eo vix dignosci potest. Morositas, Anorexia, lassitudo invadit pueros, accusant capitis dolores, catarrhum, tussim cum sputis laxis, quae deglutiunt. Nunc accedit moderata horripilatio, calor fugax imprimis horis vespertinis, qui horis matutinis remittit, imo plane intermittit, et sequitur sudor, in quibusdam casibus jam nunc vox est rauca. Sic decurrit affectio catarrhosa usque tertium, aut quintum diem, et communiter horis vespertinis exacerbationes observantur cum temperatura exaltata, pulsu pleno, aucta et nunc modice sicca tussi, et siti. Sed in casibus haud paucis Stadium catarrhosum plane desideratur, et morbus comparet illico cum suis Symptomatibus essentialibus (Croup subito invadens.)

2) Stadium inflammatorium. Sub hoc Stadium Angina membranacea est symptomatibus characteristicis insignita; sed etiam hic respectu vehementiae duplex distinguitur gradus, prout nimirum Symptomata illico in sua plena evolutione comparent (subito invadens Croup); vel symptomata quidem omnia adsunt, sed in

gradu leviori, (lente incedens Croup) natura tamen morbi per hoc non mutatur, sed periculum saltem pro momento imminuitur, sed dein augetur ad horrendam vehementiam, nisi priora lenia quidem sed essentialia symptomata strictissime tractata fuerint.

Symptomata illa essentialia sunt: 1) Febris, 2) Sonus peculiaris tussis, et vocis, 3) Dolor in trachea, 4) Respiratio impedita, 5) Sputa.

Febris vel subito comparet, estque vehemens, vel vero lenis est, habetque formam febris catarrhalis; in omni casu febris inchoat cum frigore valido, dein subsequitur calor, vel cum solo calore incipit; calor est diffusus per corpus universum, sed imprimis calent frons, facies, et collum, genae intense, et circumscripse rubent, oeli sunt protuberantes, et splendentes, visus acutus, lingua rubra, vel muco albicante tecta, sitis est intensa, deglutitio non impedita, topica (mox memoranda) symptomata colli cum vehementia se manifestant, abdomen est indolens, ut plurimum aliquantum tensum, cutis est calens, urens, sicca, serius sudore perfusa, alvus obstipa, urina parca aut intense rubra, aut plurimis in casibus non obstante febre vehementissima limpida, et dilute vel aurantio flava, quae subinde cum sensu ardoris emittitur, pulsus est valde frequens, apud infantes saepe vix numerandus, aut plenus fortis durus, saepe instar chordae metallica tangitur, saepe, et quidem in casibus gravissimis est parvus filiformis suppressus, sed manifeste

duriusculus. Non raro accedunt deliria, inquietudo magna, anxietas, distorsio oculorum, eclampsiae, convulsiones, et vomituritio.

Febris concomitans relate ad typum est vel stricte continua, vel manifeste remittens, illud tamen hicce morbus singularis habet, ut sub insultibus etiam vehementissimis, qui se communiter ad vesperam, aut noctu insinuare solent, infantes sequente diluculo apparenter mirabili modo bene valeant, et nonnisi cum difficultate in lecto retineri possint. Exacerbationes ut plurimum horis vespertinis se insinuant, et dein noctu acme suam attingunt, horis dein matutinis remittentes. Si vero morbus increseat, tunc vehementia, et duratio exacerbationum augetur, remissiones evadunt semper breviores adeo, ut incremente periculo plene dispareant.

Sonus proprius tussis, et vocis. Respectu empirico tussis est signum praecipuum pro dyagnosi Anginae membranaceae sub stadio inflammationis. Absque peculiari caractere huius symptomatis hicce morbus cum aliis analogis morbis confunderetur, et tantum sub stadio formatae membranae, ubi jam auxilium ferri nequit, cum certitudine cognosceretur. Difficile quidem est peculiarem illum et proprium illius sonum describere, et tamen multum interest eundem exacte distinguere, qui semel eundem audivit, de praesentia morbi periculosi nullus dubitabit. Sonum hunc peculiarem quidam cum clamore juvenis galli gallinacei, alii cum latra-

tu canis rauci, alii cum clamore gallinae pipientis suos pullos vocantis comparaverunt.

Tussis est ratione intensitatis, frequentiae, et soni, in hoc morbo diversa, quia si morbus incipiat in larynge, est sonus clarus, altus tenuis, et clangosus, si vero inchoet in trachea est sonus obtusus, vacuus, raucus, profundus. Interim haec differentia pro diversitate aetatis, sexus, pro diversa magnitudine laryngis, amplitudine tracheae, et sic ratione gradus admodum relativa est.

Tussis comparet periodice concedens saepe intervalla longa, sed per loquelam, fletum, clamorem, potum frigidum, aërem frigidum inspiratum facile, et vehementer concitatur, tussis est vehemens et sicca, summe difficilis, est cum dolore et sub incremento morbi cum metu suffocationis connexa, sed decrescente morbo fit rarior laxior, qua durante liquidum puriforme, saepe materia concrementis membranaceis mixta ejicitur.

Primi insultus in morbo celeriter decurrente comparent cum vehementia, et brevibus intervallis, in lente decurrente sunt leves, et saepe medico minus scrupuloso haud observabiles, unde non raro auxilium sero quaeritur. Vox in Angina membranacea est rauca. Haec raucedo est primum morbi signum, sed adest etiam in catarrho, hinc ad dyagnosim morbi haud sufficit. Angina membranacea sine raucedine est valde rara, et saltem ibi locum habere potest, ubi sola trachea, et larynx nullatenus

inflammatione corripitur. Communiter est illa horis matutinis minor, ad vesperam sensibilius se manifestans; durat per totum decursum morbi, et ejus remissio pertinet ad signa favorabilia, licet in multis casibus saepe per plures septimanas absoluto morbo duret.

Tonus vocis saepe confundebatur cum sono tussis et inspirationis, in genere est ille raucus, et altus, creditur, quod Aeger non nisi cum difficultate loquatur, quod tamen non semper contingit. Saepe vocis sonus ita decrescit, ut saltem in vicinia percipi possit.

Dolor etiam pertinet ad symptomata constantissima. Pueri qui jam loquuntur, eundem ad attactum tracheae, sub inspiratione, et imprimis sub tussi annunciant, etiam juniores infantes dolorem produnt clamando, si quis laryngem tangat, et observatur simul distorsio musculorum faciei difficile tamen est hoc symptoma cognoscere, quia parvi infantes dum quis peregrinus se approximatur, facile in lachrymas solvuntur. Dolor est continuus fixus jam pungens jam ardens.

De sede primaria inflammationis nos valde informat dolor, quia sub ita dicto Croup laryngis in larynge, et sub illo tracheae per decursum ejusdem minus manifeste se prodit. In casibus aliquibus sub tactu nullus dolor percipitur. Sed sub profunda inspiratione, tussi, et loquela, cuius causa ea esse videtur, quod sola membrana mucosa in talibus casibus sit inflammata.

Respiratio. Sub inspiratione modus respirationis, et peculiaris illa difficultas quaecum peragitur probe distinguenda. Sub leviori morbi gradu in exordio respiratio non est abnormis: sed sub morbo celeriter decurrente se conjungit illico cum reliquis symptomatibus perceptibilibus, et cum peculiari rauco, et strepente sono coniuncta inspiratio, quod symptoma inducitur per inchoantem transsudationem, et crescente periculo augetur; adest etiam peculiaris difficultas respirationis, vel dyspnoea, tamquam symptoma morbi celeriter decurrentis constans. Sed si praecedat stadium catarrhosum Anginae membranaceae tunc peculiaris haec inspiratio tardius se manifestat, et est princeps index periculi, nec evanescit nisi sublata dyspnoea. Has difficultates respirationis comitatur anxietas magna, facies tumida, et coerulea, tussis, et metus suffocationis jam majoribus jam minoribus intervallis, qui appellantur insultus croupales.

Sputa. Sputa ab infantibus tenerioribus semper deglutiuntur, hinc medicus in tracheitide, non secus ac in morbis pectoris aetate infantili teneriori hocce symptomate destituitur.

Sub Stadio inflammationis in genere tussis est sicca, ideo sputa desunt, aut saltem aliquid salivae excernitur, sequentibus intervallis apud adultiores tenax, alboflavicans vel coerulea, spissus puriformis, quandoque striis sanguineis notatus mucus ejicitur, qui non raro particulis membranaceis mixtus est, quem non

raro favens exitus excipit. Crescente vero morbo tussis manet sicca, et saepe sub grauissimis insultibus partes pseudomembranae, excernuntur. Similes pseudomembranae quantitate majori vel minori sub felici exitu morbi etiam per anum eliminantur, cujus inspectio hinc non est negligenda.

Propria symptomata Anginae membranae, quae sub diversis circumstantiis in quibusdam casibus locum habent, et dyagnosim illustrant sunt: intumescencia colli, vehemens vibratio carotidum, vomituritio vel vomitus spasmii et convulsiones.

Somnus qui superatis insultibus saepe subsequitur, apparet quietus, attamen durante eo observatur inspiratio difficilis et sonora; quo diutius durat, eo respiratio evadit citata magis et sonora, et quo morbus vehementior est eo frequentius haec symptomata locum habent, sitis non raro fit in exstinguibilis, sed deglutitio non est impedita.

3) Stadium transsudationis non raro jam secundo tertio die comparet, scilicet dyspnoea semper increscit, ductus faciales aegri peculiari ratione mutantur, pueri jacent soporosi oculis semi apertis, anxietas cum sopore alternat, saepe somnus omnis deest, facies fit tumida sudore frigido tecta, respiratio anhelans cum naribus multum dilatatis, exspiratio fit ita sonora, ut inspiratio, vox silet, pueri caput retrorsum projiciunt, ut per prolongationem tracheae accessum aëris ad pulmones facilitent;

inquietudo anxietas valde augentur, comparent ructus et vomitus, urina durante tussi contra voluntatem evacuatur, respiratio solo dyaphragmate perficitur, fit semper brevior celerior, abdomen contrahitur, pulsus valde frequens, vix numerandus parvus et intermittens; remissiones nullae sequuntur, facies evadit pallida et cadaverosa, oculi profunde in orbitam retrahuntur, et post horribiles reactiones inter summas anxietates saepe jam secundo usque sextum diem sequitur mors per suffocationem.

Sub exitu felici vero, qui per naturam solam (absque artis auxilio) raro et in morbo intenso vix unquam locum habet, insultus evadunt mitiores, et rariores dyspnoea imminuitur, tussis proprium suum tonum raucum mutat, fit strepens, humida, sputa sunt laxiora, spissa et tenacia; partes membranaceae eadem, ut per alvum eliminantur, sequuntur frequentes, virescentes, peculiariter foetentes alvi dejectiones cum insigni levamine, se insinuat somnus refacillans cum sudore largo, observatur sedimentum largum in rubra aut flava urina, pulsus evadit minus frequens, et durus, nihilominus tamen sub symptomatibus faventibus facile periculosae recidivae locum habent, et tussis perinde ac raucedo longo adhuc perdurant tempore sub stadio reconvalescentiae.

Datur etiam Angina membranacea chronica, cujus decursus longior usque diem nonum, decimum quartum, decimum septimum, imo in septimanas excurrere potest, haec se annunciat

symptomatibus morbi in gradu mitiori, et imprimis locum habet, si morbus clandestine incoeperat, et nonnisi tardius agnitus, et auxilium quaesitum est.

Differentia eius a similibus morbis.

Angina membranacea potest cum catarho laryngis, cum asthmate millari, cum tussi convulsiva, et cum diversis inflammationibus organorum Colli, et pectoris confundi; ab ultimis distinguitur tamen per adducta symptomata characteristica, quae in hac unione nulli morbo conveniunt, per certum, et proprium nisum transeundi in formationem membranarum per transsudationem, et per defectum symptomatum, quae inflammationibus his exclusive conveniunt. Cum tussi sic dicta ovili, catarho laryngis habet Angyna membranacea respectu soni tussis ipsius maximam analogiam, deest tamen huic febris, et dolor in cavo laryngis, attamen, et hicce morbus tamquam status irritativus tracheae considerandus est, et potest sub circumstantiis scopo adversis facile in verum Croup degenerare.

Differentia inter Asthma millare est propter magnam similitudinem amborum morborum, qui tamen curam diversam requirunt, distinctu difficillima, attamen morbus posterior imprimis debiles irritabiles ad spasmos dispositos infantes invadit, comparet cito absque ullis prodromis, cum dolore pressivo pectoris, et sensu tensionis inter scapulas, facies est pallida, calor

animalis hand exaltatus, artus subinde frigidi, deest dolor in cavo laryngis, et in trachea, vox est vacua, profunda et rauca, urina semper limpida aquosa, pulsus communiter valde variabilis, spasticae contractus et parvus, tussis semper sicca absque sputis; demum in Asthmate millari deest febris, sed post superatum insultum omnia symptomata morbosa silent. Interim morbus posterior adeo raro occurrit, ut multi de ejus existentia dubitaverint, quae tamen in dubium vocari nequit.

A Tussi convulsiva Angina membranacea facile distingui potest per longum suum decursum, per insultus periodice recurrentes, et per sonum singularem tussis, qui sub tussi convulsiva est distinctus, et cum rugitu asini comparari potest.

C a u s a e.

Dispositionem peculiarem pro Angina membranacea habet imprimis aetas infantilis usque annum decimum, invadit saepissime teneriores, rubro capillorum colore instructos, irritabiles, nec non plethoricos et robustus infantes, et quidem saepius mares quam femellas. Apud infantes in genere reproductio praedominatur, irritabilitas organorum vocis est exaltata, aër organa respirationis teneriora stimulo inimico ferit, porro congestio humorum in caput et collum est major quam apud adultos, quod ipsum probat moles major glandulae thyreoideae, epista-

xis et fletus frequentior. Infantes organa respirationis per clamorem magis intendunt, facile incalescunt in aëre frigido, et non sunt semper capaces mucum tracheam infestantem screatu eliminandi. Singularis praeterea dispositio inducitur per constitutionem atmosphaerae, quam ob rem Angina membranacea imprimis tempore hyberno epidemice dominatur.

Ad causas occasionales pertinet flatus ventorum frigidorum, quod apud infantes facillime locum habet. Infantes praediligunt aërem liberum ipsos adhuc inimica ratione afficientem, cursitant saepe denudato capite communiter calore nimio foventur, contra influxus aëris noxios haud defenduntur; currunt adversus ventum clamant et loquuntur multum; per has causas praesente tenera structura, et exaltata reproductione viarum respirationis inducitur irritatio inflammatoria, et hinc peculiaris illa in exsudationem tendens horum organorum inflammatio excitatur. An angina membranacea indole contagiosa gaudeat per experientiam sufficienter evictum non est, sed et fundata suspicio monet hoc respectu cautelam non esse negligendam.

Symptomatico modo angina membranacea saepius jungitur milliaribus tam sub stadio invasionis, quam sub stadio desquamnationis, et reconvalescentiae; rarius accedit rubeolis et scarlatinae, saepius vero tussi convulsivae, olim variolis humanis videtur Angina membranacea se haud raro adjunxisse, et mortem induxisse, adferuntur casus complures, ubi sub de-

cursu normali rauco, se insinuabat, dyspnoea se adungebat, loquela cessabat, et inopinate mors sequebatur. Probabile est in plurimis his casibus anginam membranaceam causam mortis fuisse, sed morbus eorum nedum notus fuit.

E x i t u s.

Sub cura congrua, et mature adhibita transit in sanitatem, per quam exsudatio impeditur per crises cum sudore, urina sedimento instructa, sed imprimis per sputa tenacia, cocta, saepe fibris membranaceis notata, et per virescentes proprio odore instructas alvi evacuationes.

Transit etiam in alios morbos, et quidem imprimis in exsudationem, et formationem peculiaris pseudomembranae, unde nomen Angy-nae membranaceae. Nisi in exsudationem jam in natura morbi fundatur, et sub hujus jam exordio adest; formatio harum membranarum tam cita capit incrementa, ut spatio paucarum horarum insignem gradum assequatur, unde periculum pendet. Haec pseudomembrana est per inflammationem membranae mucosae producta, exsudata lynpha coagulabilis, quae cavum laryngis tracheam ejus ramos vel ex parte vel ex toto in superficie interna obvestit; cujus crassities respondet morti citius aut tardius subsequenti; est coloris albicantis, et sub sua genesi adhaeret firmiter internae superficiei tracheae; si post ejus formationem mors non in-

sequatur, nexus ejus fit laxior, et inter illam et tracheam mucus accumulatur. Viae respirationis post ejus decursum offerunt vestigia inflammationis, et quidem eo majora quo citius mors sequebatur; haec inflammatio successive extenditur ad pulmones, qui proin in cadaveribus sanguine infarcti, et inflammati apparent.

Si hi textus membranacei desint, aut non aderat angina membranacea, aut morbus tanta vehementia aëgrum agrediebatur, ut ille ante stadium transsudationis obierit, et tunc symptomata inflammationis sub sectione in gradu majori se manifestabunt.

Sequelae exsudationis sunt diversae. Sub exsudatione membranae totam tracheam obvestientis mors fere semper inevitabilis est, et pauca solum adducuntur exempla, in quibus textus talis fistulosus per tussim, aut vomitum feliciter eliminatus, fuisset; sub formatione partiali etiam pseudomembranarum, si situs earum accessum aëris omnis arceat, potest suffocatio locum habere; sed etiam in leviori morbi gradu remanent saepe diu difficilis respiratio, rauco, defectus vocis, magna sensibilitas tracheae et facile febris hectica accedit.

In casibus aliis partes membranaceae sensim solvuntur et partim per os, partim per anum eliminantur, et sub symptomatibus criticis sanitas revertitur.

Mors per suffocationem inducitur ob vehementiam inflammationis, aut per exsudationem, per apoplexiam, per spasmos convulsiones, aut per morbos posthumos.

P r o g n o s i s.

Pertinet Angina membranacea procul dubio ad morbos periculosissimos, hinc prognosis semper summe ambigua, per therapiam solum rationalem, et promptam periculum removeri potest; si morbus subito invadat, primis horis maximam requirit attentionem, et in hoc casu semper auxilium quaeritur; morbus lente subintrans saepe aut non animadvertitur, aut in debitam considerationem haud summitur, unde dein nec auxilium adaequatissimum aegrum salvare potest. Periculum eo majus est, quo teneriores infantes morbus agreditur, periculum augetur etiam per difficilem dyagnosim, et applicationem remediorum.

Symptomata ominosa in genere sunt febris continua dyspnoea haud interrupta, anxietas aucta, tussis sicca, animi deliquia, spasmi, status soporosus, sudor frigidus, pulsus vix numerandus, morbus diu durans antequam cura debita adlibeatur.

Ad symptomata faventia referuntur Crises cum remissione febris, relaxatio et strepitatio tussis cum subsequentibus sputis alleviantibus, alvus virescens frequentior, respiratio minus citata, et difficilis.

T h e r a p i a.

Indicatio in Angina membranacea poscit, ut causa excitans removeatur, et quantum fieri

potest inflammatio organorum respirationis quam citissime impediatur, ne ulla lymphae coagulabilis exsudatio locum habeat. Si vero jam lymphae exsudatio ingruerat, ejus ulterior genesis restringi, productum vero ejus, partes nempe membranaceae relaxari, pro evacuatione idoneae reddi, et ex trachea eliminari debent.

Methodus igitur medendi Anginae membranaceae conveniens est Antiphlogistica, gradui vehementiae, et individualitati subjecti respondens; natura tamen propria morbi; evolutio ejus subita et lenta, peculiaris organismi infantilis in formationes organicas nisus insignes requirunt modificationes. Si morbus subito ingruit princeps, et convenientissimum remedium consistit in venaesectione, saepius in applicatione hirudinum, quae neutiquam differenda est, cum omni hora periculum augeatur.

Quamprimum Febris, sonus peculiaris tussis, dolor in laryngis cavo, rauco et dyspnoea adsunt, indicationes praesentes hujus remedi nullam dilationem admittunt. Negari non potest, parentes, non secus ac medicos saepe desiderio teneri applicationem hirudinum evitandi, aetas enim tenera infantilis, denudatio colli necessaria, et imprimis terror, et clamor vehemens infantum, per quas causas inflammatio necessario augetur non pauca impedimenta ponunt, quae tamen nullatenus periculo aequiparari possunt, nonnisi sub raris circumstantiis applicationem differere licet, dum nempe peculiaris sonus tussis quidem adest cum

raucedine, dolor vero in cavo laryngis, difficultas in respiratione, et febris adhuc desunt. Similibus sub rerum adjunctis non raro conceditur per quietem in lecto observatam, cataplasmata emollientia; per mitiorem apparatus antiphlogisticum potus theatos emollientes ulteriorem morbi evolutionem praepedire.

Cum hicce morbus communiter aetatem teneram infantilem invadat, et periculum a malo topico pendeat, hinc plurimisque in casibus topicae sanguinis coactiones sufficiunt, aetate vero infantili adultiori et venaesectio non raro necessaria est. Cum sanguinis evacuationibus cataplasmata emollientia, fomentationes tepidae ad collum, quae simul haemorrhagiam sustentant requiruntur. Ad remedia emollientia interna pertinent, Althaea Salep, mucilago gummi Arabici, manna, sub siti intensa emulsiones, et parvae doses nitri pro circumstantiarum diversitate opportune adhibentur.

Post expletam indicationem inflammationem per sanguinis evacuationem frangendi, omnimolimine nunc morbosa exsudatio lymphae, et inde procedens formatio pseudomembranae impediri, et si quae jam locum haberet sollicite restringi debet, exsudata autem lymphax relaxanda et eliminanda est.

Hoc scopo ut princeps et efficacissimum nullo alio hucusque cum certitudine supplementum pharmakon calomela suas laudes habet.

Quamquam experientia duce omni jure statuamus principium illud, hoc remedium efficax

in inflammationibus in genere sub stadio cruditatis haud iudicatum esse, quin imo nocere, negare tamen haud possumus in inflammationibus quae peculiarem nisum in exsudationem habent insignes exercere effectus.

In Angina membranacea nisus in exsudationem est major, quam in quacunque alia inflammatione, hinc indicatio huic obices ponendi superat omnem respectum, ex hoc fundamento sinistri ejus effectus quasdam, praecautiones exigere, nequaquam vero vsum ejus inhibere possunt.

Calomelapricipem influxum in curam Anginae membranaceae exerit per impedimentum exsudationis, et per relaxationem jam formatarum partium membranacearum; agit simul in hepar ejusque functionem, et auget secretionem tubi intestinalis, et per hoc singularis antagonistica actiuitas excitatur, sequunturque communiter frequentes, virescentes peculiariter olentes alvi evacuationes, quibus comparentibus tussis ut plurimum laxior, et status aegri emendatur. Alvi obstipatio durante ejus usu hinc signum minime favens est, Quod ad dosim Calomelae attinet, quae ob saporem mitem etiam ab infantibus facile summitur, ea moderata sit oportet; pro morbi vehementia infantibus junioribus datur ad granum dimidium usque granum unum omni bihorio, aut omni hora; infantibus qui quintum annum superaverunt exhibere possumus imprimis urgente periculo celeris exsudationis ad granum unum et dimidium, imo

ad grana duo, quae doses continentur usque dum tussis laxior et alvi evacuationes supræmemoratae locum habeant. Dosis major raro requiritur, si tamen pertinax alvi obstipatio fracta licet febris vehementia perduret, haud abs re erit, uni dosium sequentium duo usque quinque grana pulveris radice jalappae addere, sequuntur dein alvi evocationes, quae ne fors imminentes adversas sequelas removeant. Ad haec incommoda pertinet imprimis usum hydrargiri insequens ptialismus, et evacuationes membrarum, prior quidem casus apud infantes rarius occurrit, nec tamen hucdum dispositio noscitur sive apud teneros sive adultos, quæ praesente ptialismus citius ingruit, et experientia docet paucas et parvas doses hydrargiri ptialismum, et quidem vehementem sequi posse, dum sub aliis rerum positionibus post magnas, et diu continuatas doses nec vestigium illius observatur. Hicce ptialismus est symptoma valde ominosum, sed tamen vix non semper arte vinci potest. Dyarhoeae donec nimiae non sunt ad symptomata optata hujus morbi pertinent, si tamen excedant, restringendae, nunquam vero subito suppressendae sunt.

Experientia constat usum diuturnum hydrargiri, et magnas ejus doses inimica ratione afflicere totam individui constitutionem, eam labefactare, imo dissolutionem quoque humorum provocare; et nonnisi periculum grave, et levamen certum, iis in casibus in quibus calomella indicatur, ejus usum necessario requirunt;

hoc respectu desiderandum foret, hujus remedi-
 dii usum arctioribus limitibus circumscribere, et
 alio quodam ejusdem efficaciae remedio sine his
 malis sequelis supplere, imprimis hoc necessa-
 rium foret apud infantes, qui in recidivas fre-
 quentiores hujus morbi dispositi sunt.

Quamdiu sub decursu Anginae membrana-
 cea tussis est rauca, respiratio difficilis, pulsus
 tensus et durus, eousque topicae sanguinis mis-
 siones negligendae non sunt. Dum febris est ve-
 hemens, calor et sitis major juvat nitrum parca
 dosi in decocto emolliente propinare, synapis-
 mos suris applicare, clysmata purgantia adhi-
 bere.

Si sanguinis evacuationes ea jam ratione
 adhibitae sunt, ut ulteriorem earum admini-
 strationem tentare non liceat, et si symptomata
 dolorum topicorum perdurent emplastrum can-
 tharidum ad collum juxta decursum tracheae,
 aut ad sternum requiruntur, non secus in
 vicinia partis affectae inunctio unguenti mercuri-
 alis requiritur. Simul indicatio adest ad transpi-
 rationem cutaneam promovendam, quem in si-
 nem liquor mindereri vinum antimoniatum op-
 portune adhibentur, si vires labantur aura cam-
 phorae insigniter prodest.

Praecipuum tamen respectum, si crises nec-
 dum comparuerunt, status tracheae, et qualitas
 exsudationis, quae communiter pro parte
 jam adest, et cujus vestigia in sputis, et alvi
 evacuationibus observantur, meretur. Exsuda-
 tio in magno gradu, et formatio pseudomem-

branae totam tracheam obvestientis omne artis auxilium irritum reddunt, quae tamen vix unquam locum habent, si statim sub exordio morbi congrua et efficax therapia adhibeatur.

Si eo non obstante generetur, imprimis inobedientia adstantium accusanda est, quae infantem in lecto decumbere reuuentem, semper excipiunt, hinc sudor jam progrediens recedit, et exacerbationes, quibus durantibus plenaria exsudatio locum habet nil aliud sunt quam artificiales recidivae. Medicus raro de hac edocetur, et vim morbi adeo intensam explicare nequit.

Partialem vero exsudationem ex integro impedire, non semper arti concessum est, et nunc relaxatio et ejectio partium membranacearum requiritur; huic fini inserviunt usus continuatus hydrargiri, syrapi pectorales emollientes apud adultiores diligens applicatio vaporum emollientium, nec non pulveres ex floribus sulfuris a grano dimidio ad unum integrum. Sulfur forma hac miti est pharmacon excellens, solvens potens pseudomembranarum, promovens transpirationem cutaneam, et mala hydrargiri usum, excipientia removens; est in minori tantum gradu stimulans, et hoc respectu sulfur aurato antimonii praefendum.

Si partes membranaceae solutae sunt, quod cognoscitur ex strepitu laxo, et evacuatione earum, nunc primum remedia sputorum ejectionem facilitantia requiruntur, prius exhibita nocent, et inflammationem intendunt. Horum post sulfur praecipuan sibi laudem meruit Polygala

senega; quod remedium nunc est valde proficuum, et vix alio supplendum, promovet valde sputorum ejectionem, reserat stases, et per hoc respirationem faciliat, promovet transpirationem cutaneam, et auget excretionem urinae. Semper tamen initio parva dosis est propinanda gr. duodecim, scrupulus unus, usque drachmam unam sufficiunt pro colatura quatuor, usque sex unciarum, doses majores infantes ob acrem saporem aegre ferunt, status eorum deterior evadit. Praeter hoc pharmon analogis gaudent virtutibus: oxymel scilliticum, spiritus salis ammoniaci anisatus, sal c. c. Spir. C.C. Sulphur auratum antimonii, Kermes minerale, et flores Benzoes.

Emetica quoque sub his rerum adjunctis a medicis laudantur, attamen quamdiu massae exsudatae tracheae firmiter adhaerent per emetica facile periculum suffocationis inducitur; non nisi dum concrementa jam soluta sunt, eorumque evacuatio facilianda est, insignes producunt effectus, sed hoc respectu analogae virtute concutiente pollent media recensita quorum effectus facilius quam eos emeticorum regere possumus.

Non raro sub exordio Anginae membranacea per applicationem emeticorum, Tart. emet. vel vitrioli cupri ulterior morbi grauis evolutio, felicissime impeditur, sed non semper. Si enim naturam Anginae membranaceae inflammatoriam animo reputemus, dum illa re ipsa in conspectum venit emetica aegrum in statum deterio-

rem conjiciunt, et si jam febris, dolor in trachea, tussis rauca et sicca, difficultas respirationis adsunt, emetica nullatenus propinanda sunt: sed insignes effectus producere possunt, dum mucus spissus in trachea accumulatus est; qui apud infantes constitutionis laxae saepe observatur, et tamquam dispositio favens consideranda est.

Si sub decursu Anginae membranaceae Symptomata memorata subintrent, ut spasmi convulsiones, quae tamen nullatenus inflammationi inniti debent, tunc moschus castoreum, spir: C. C. Sal CC. balnea tepida proficua esse solent. Si vero inflammatio adsit, praeter apparatus antiphlogisticum flores zinci, extr: hyosciami recte adhibentur.

Dyarrhoeae debilitantes usum calomelae ventant, et usum remediorum dyarrhoeae contrariorum repossunt, ut rad: Arnicae, rad: ipecacoannae dosi refracta, et aquae cinnamami. Raucedo, et tussis saepe diu durantes remedia emollientia mucilaginoso requirunt.

Ut remedium efficax certis sub adiunctis in Angina membranacea per recentiores hepar sulfuris kalinum celebratur.

Hepar sulfuris in systema vasorum agit leni stimulo ejus potius activitatem exaltatam instar salium neutralium moderate deprimit, pollet nihilominus, non secus ac calomela, virtute specifica plasticitatem morbosam sanguinis, et nisum in exsudationem restringente, hinc in inflammationibus exsudativis maximam meretur

attentionem. In quibusdam nequaquam plurimis casibus auget secretionem tubi intestinalis, et producit dyarhoeam moderatam, quae tamen rarius ac post usum hydrargiri profusa evadit, imo nec dyarhoea praesens ejus usui repugnat. Ejus usum sequuntur non raro nausea, et moderata, sed unica tantum emesis, quod subinde post usum calomelae quoque evenit. In systema nervosum hepar sulfuris mitissime agit, non producit inquietudines, pervigilium, dolores, aut spasmos, imo hi ultimi sopiuntur; videtur esse remedium systema nervosum absque calore componens, est remedium celebre malum posthumum hydrargiri ptialismum ratione singulari tollens.

Quamvis dotes insignes hepatis sulfuris usum ejus frequentiore exigere videantur, ejus tamen odor et sapor ingratus usum illius limitant, quem non solum nausea, et emesis sequuntur, sed huc accedit et id, quod in Angina membranacea ejus usus sufficienti experientia probatus non sit, et perdifficile foret in tam periculoso morbo remedium adeo tutum et experientia multiplici probatum Calomelam nempe seponere.

Pauci quidem hucusque Anginam membranaceam solo hepate sulfuris oppugnarunt, tunc tantum cum fructu adhibetur, dum non obstante cura antiphlogistica cum calomela nisus in exsudationem continuo perdurat, et dum ab usu ulteriori calomelae per dyarhoeas profusas, ptialismum et exhaustionem virium sinistri eventus metuendi sunt.

Si ob vehementiam indomabilem sanitas nullatenus speranda, et mors per exsudationem omni momento expectanda sit, tunc medico experto, qui de dyagnosi sua, et exitu morbi infelici convictus est, non tantum licet, imo serio incumbit ultima quae ratio et experientia probat artis auxilia adhibere. In similibus rerum adjunctis emetica ex Tartaro emetico, et Kermes mineralis dosi majori insignem efficaciam ostendunt, et recentioribus imprimis temporibus a Cel. Hoffinan Sulfas cupri laudatur, quod remedium ille jam sub exordio morbi in vicem calomelae solventis ad instar ad unam quartam grani adhibet, praesente exsudatione vero post factas tamen sanguinis depletiones ut emeticum ad grana duo usque tria porrigit; in ultimo casu, imprimis dum calor siccus et vehemens est, ac alia artis auxilia haud sufficiunt lotiones cum aqua frigida, imo perfusiones insignes produxerunt effectus.

Regimen diaeteticum requirit abstinentiam a cibis, usum potuum tepidorum decocti Althaeae, avenae, hordei evitationem refrigerii, quietem magnam, et omnem possibilem sollicitudinem, ut infantes a clamore abstineant.

Auctores praecipui.

An inquiry into the Croup by Francis Home
Edinburgh 1765.

Grawford Dissertatio de cynanche stridula Edin-
burgi 1771.

- De Angina poliposa sive membranacea Chr. Frid. Michaelis Götting 1775. 8.
- A treatise on the nature and cure of the cynanche trachealis by Disney Alexander London 1790.
- Cheyne Essays on the nature of childern. Essay I. on cynanche trachealis or Croup. Edinburgh 1801.
- Memoire sur le Croup, par J. C. Des Essarts a Paris 1807.
- Sammlung von Beobachtungen und Thatsachen, welche die häutige Bräune betreffen, übersetzt von Fürdländer Tübingen 1808.
- Traité de Croup aigu par J. C. F. Caron a Paris 1808.
- Manuel sur le Croup par Latour a Paris 1808.
- Abhandlung über dem Croup dessen Natur, und sicherste Heilmethode von J. W. Hopf Hanau 1808.
- Ueber die Natur und Behandlungsart der häutigen Bräune von Marcus. Bamberg 1810.
- Heims Beurtheilung der Schrift von Marcus, nebst einigen Henke Kinderkrankh.
- Beobachtungen, und Erfahrungen in Horns Archiv f. med. Erfahrungen 1810. Band 1. Heft 2. Seite 350.
- Herings Erfahrungen über die häutige Bräune. Leipzig 1811.
- Observations om croup or hives, by David Hossack New York. 1811.
- Erkenntniß und Heilung der häutigen Bräune, des Millarischen Astmas, und des Keuchhustens von C. L. Löbenstein = Lobel Leipzig 1812.

- Rapport adressé a son Excell. le Ministre de l'interieur sur les ouvrages envoyés au concours sur le Croup a Paris 1812.
- L. Jurine. Preisschrift über den Croup a. d. Franz von Heineken, mit Borr. von Albers 1816. Leipzig 4.
- J. A. Albers de tracheitide infantum vulgo Croup vocata, commentatio cui praemium a Napoleone propositum ex dimidia parte delatum est Lipsiae 1816.
- Memoires sur le Croup par F. J. Double a Paris 1811.
- Traité du Croup, ou angina tracheale, qui a obtenu la première mention honorable par M. G. Vieusseux Par. 1812.
- Kritische Bemerkungen über die in Paris gekrönten Preisschriften über den Croup nebst Ideen über die Natur und Behandlung dieser Krankheit von Formey In Horns Archiv Jahrg. 1812.
- Die Epidemie des Croups zu Kirchenheim in den Jahren 1807. — 1810. von Eschenmayer Stuttgart 1812.
- Heilmethode der häutigen Luftröhrenentzündung der Kinder in Authenrieths Versuchen für die pract. Heilkunde I. Hft 1807. II. Hft 1808.
- Formeys Beurtheilung der Schrift von Authenrieth in Horns neuen Archiv. Bd. VI. S. 569.
- J. D. W. Eschse das Wissenwürdigste über die häutige Bräune II. Bde Hannover 1810—12.
- Louis Valentin Recherches historiques et pratiques sur le Croup a Paris 1812.
- L. A. Gölis tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membr. Viennae 1812.

Royer = Collard Abhandlung über dem Croup; a. d. Franz; von Mayer mit Anm. von Albers Hannover 1814.

Theses defendendae:

- 1) Medicus auxiliante solum natura morbis medetur.
 - 2) Hepatis influxus in assimilationem in dubium vocari nequit.
 - 3) Neodetecta Chinae praeparata omnibus corticis virtutibus haud pollut.
 - 4) Laesiones cordis non sunt semper lethales.
 - 5) Exstirpatio glandulae lachrymalis in exophthalmia suscipienda.
 - 6) Datur Scalatina absque exanthemate.
 - 7) Februm intermittens sedes est in systemate ganglioso.
 - 8) Signa graviditatis certa ante medium graviditatis non dantur.
 - 9) Angina membranacea essentialiter differt ab Asthmate millari.
 - 10) Medicus humanitate nonnunquam plus quam arte prodest.
 - 11) Inter methodos medendi universales, antiphlogistica omnibus reliquis palmam praeripit.
 - 12) Vita individualis ex vita universali originem repetit, hinc aliquid aeterni involvit.
-